

Hinc 1^o qui culpabiliter differt restitutionem (12), manet in peccato continuo, et absolvi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur.

2^o Si quis habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domini incommodum, non facile damnandus est de peccato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. gr. spes occasionis commodioris, etc... — S. Lig. *Hom. apost.* n. 104. 105.

3^o Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus (13); quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo, qui cum per vitae decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus reiiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in heredes suos; nisi forte de restitutione bonorum incertorum agatur. — *Hom. apost. ibid.*

II. Quoad debita *ex iniuria*: — compensanda sunt damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis. — *Hom. apost. ibid.*

Utrum autem debeant compensari etiam damna extraordinaria, seu quae non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis, *controvertitur*. — *Probabiliter* negandum videtur, quia haec damna praevideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt. — Vogler, n. 426. — Lugo, etc.

714. — III. Quoad debita *ex contractu*, generatim standum est conditionibus contractui apposis circa tempus, vel circa alias circumstantias; nisi prudenter praesumatur, aliam esse alterius contrahentis voluntatem.

Hinc 1^o restitutio, seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est.

2^o Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in eius favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut v. gr. in praestatione pecuniae cum lucro percipiendo.

3^o Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi expectare potest generatim, donec moneatur a creditore, nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat.

4^o Si debitor habeat iustam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. — *Ita communiter*, cum S. Ligorio n. 680.

(12) Adde, et *notabiliter*, ut dein A. explicat, et *si agatur de materia gravi*.

(13) Intellige, quando sit materia gravis.

QUAER. *An qui distulit restitutionem ex iusta causa, teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

Resp. Tenetur, quando debitum provenit *ex delicto*; quia licet non peccaverit restitutionem differendo ex iusta causa, attamen ex praecedenti laesione est vere causa iniusta et culpabilis illius damni, si tunc sufficienter praevium fuit (14). — *Ita communiter*, cum S. Lig. n. 680. et 704. contra alios. — Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur; quia tunc debitor non est causa iniusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet, quo titulo ad id teneatur. — S. Lig. *ibid.*, et *alii communius*. — V. *Casus*, n. 704.

CAPUT IV.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS

715. — I. *Excusant ad tempus* 1^o *impotentia physica*, seu omnimoda impossibilitas, quae habetur in necessitate extrema; imo etiam in necessitate valde gravi sive debitoris ipsius sive suorum, id est uxoris et proximorum consanguineorum; 2^o *impotentia moralis*, seu gravis difficultas restituendi, quando nempe restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris, v. gr. si debeat restituendo notabiliter decidere e statu suo iuste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere, etc... Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc si nobilis non potest restituere, nisi se privet famulis, equis, armis; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suae instrumenta, aut magnum damnum subeat, restitutionem differre potest, et debita paulatim solvere. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 117.

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. gr. ludis, crapulis, in talem necessitatem se coniecerit. — Ita Laymann, Lacroix, Busemb. cum *aliis*. Sed S. Lig. *Hom. apost.* n. 118. ait: *Hoc non obstante, si debitor e statu suo iuste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Caeterum recte advertunt S. Ant., Sporer, Elbel, quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminueri, ut restituat saltem quod potest.*

(14) Doctores, qui hanc sententiam tenent, non restringunt onus restitutionis ad damna aliquo modo praevia, sed etiam ad fortuita (Vide Lugo disp. 21. n. 17.). Licet vero hanc sententiam et communior et probabiliorem dixerit S. Alphonsus

(lib. 3. n. 680.); non pauci tamen etiam oppositam censent probabilem (apud S. Alphonsum, l. c., et Croix lib. 3. p. 2. n. 252.): idque usui esse Confessariis poterit, ut difficultatem, nunquam non arduam, restituendi imminuant.

716. — II. *Excusant in perpetuum* 1^o *remissio*, vel condonatio debiti ex parte creditoris; requiritur autem, ut creditor possit condonare, et dominium et administrationem rei sibi debitae habeat: item ut remissio non fiat vi vel fraude, sed omnino libere et spontanee; 2^o *compensatio*, id est, quando creditor auctoritate propria aequivalens sibi vindicat, vel idem debitum sibi retinet; 3^o *praescriptio* debitis vestita conditionibus. Praescriptio autem pro debitis non completur regulariter nisi per 30 annos; nec communiter haberi potest quoad ipsum debitorem qui debitum contraxit, quia bona fides in eo reperiri nequit. — S. Lig. n. 700., etc... *Recole dicta de praescriptione*, n. 580. et seq.

717. *Quaesita*. — *QUAER.* 1^o *An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate sive gravi sive extrema cum creditore?*

Resp. 1^o Si creditor iam reperiatur in gravi necessitate, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet iuxta omnes.

2^o Si uterque iam reperiatur in necessitate gravi, et debitor restituendo in extremam decideret, *disputatur*. *Probabilius* excusatur a restitutione, quae non debetur *ex delicto*. Imo probabiliter etiam si *ex delicto* debeatur; quia debitor tunc restituendo se subiceret damno sane graviori. Excipe, si res ipsa in specie adhuc existat. — *Ita communiter*.

3^o Si uterque sit in extrema necessitate, *probabilius* omitti potest restitutio; quia tunc omnia fiunt communia. — Bonac. — S. Lig. n. 701., *Hom. apost.* n. 119., Lugo tamen cum *aliis* non minus probabiliter oppositum tenet.

718. — *QUAER.* 2^o *An restituere teneatur, qui rem alienam in extrema necessitate accepit et consumpsit?*

Resp. 1^o Si habeat alibi propria, *affirm.*; ratio est, quia etiam tempore necessitatis non est vere impotens. — S. Lig. n. 520. *et alii communiter*.

2^o Item dicendum est, si actu quidem nihil habeat, sed habeat in spe probabili; quia eiusmodi necessitatem patienti sufficienter per pecuniam mutuam sine censu prospicitur. — S. Lig. n. 520.

3^o Si nulla spes affulgeat actu, non tenetur; quia tunc rem suam fecit. — *Ita communius theologo.* — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 3^o *An excusetur a restitutione qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?*

Resp. Duplex datur sententia.

1^a *SENTENTIA negat.* Ratio est, quia quod gratuito donatur, nequit haberi ut debiti solutio. — *Ita Sanchez.* — *Vogler.*

2^a *SENTENTIA affirmat* cum *Lacroix*, n. 452. — *Tamb. etc.* Ratio est, quia censetur quisque velle prius obligationi iustitiae satisfacere, quam merae liberalitati. Prima sententia est *communior* et *valde probabilis*; sed secunda non caret sua probabilitate, ait S. Lig. n. 700.; et hanc sat probabilem dicit, *Hom. apost.* n. 120.

QUAER. 4^o *An gravatus debitis possit ingredi religionem, et liberetur, a debitis, si ingressus fuerit?*

Resp. ad 1^{um} *Neg.*, si brevi habere possit unde solvat; secus *probabilius per se*, si debeat per tempus notabile exspectare. S. Lig. n. 74. *de Statibus*; *Vogler*, etc... Attamen, si debita sint magni momenti, talis ingressus, licet *validus*, Iure canonico prohibetur ut *illicitus*.

Resp. ad 2^{um} 1^o Religio non tenetur haec debita solvere ex bonis propriis, ut patet; 2^o Religiosus tenetur exsolvere ex bonis, quae habuit ante professionem, vel quae ei obveniunt per legatum, si vota simplicia tantum emisit; secus vero, si solemniter professus fuerit. — *Ita communiter*.

719. — *QUAER.* 5^o *An cessio honorum sive iudiciaria, sive voluntaria excuset a restitutione in perpetuum?*

Resp. 1^o *Neg.* prorsus quoad cessionem *iudiciariam*, quia illa cessio est merum beneficium, quod lex concedit debitori bonae fidei et infelici, ut bona cedens libertatem conservet, et a coactione in foro externo immunis evadat. Constat ex terminis expressis Iuris tum Romani, tum Gallici.

Resp. 2^o Imo *Neg.* etiam quoad cessionem *voluntariam*, seclusa conventionem vel *expressa*, vel saltem *implicita*. Ratio est, quia quamvis creditores tunc componant cum debitore de certa tantummodo parte solvenda, sic tamen agunt, quia plus habere nequeunt, nec propterea renuntiant iuri, quod ad integram solutionem habent, si debitor aliquando solvere queat. — S. Lig. n. 669. — *Billuart*, diss. 8. art. 20.

Dixi *seclusa conventionem*; quia si creditores *expresse* liberent, vel clare videantur liberare *totaliter* debitorem, hic ad nihil ulterius tenetur.

720. — *QUAER.* 6^o *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. gr. tibi debeo 100 francos, tu vero debes 100 Titio, an satisfaciam solvendo 100 Titio?*

Resp. *Affirm.*, *per se* ad iuris apicem. Ratio est, quia ego solvens creditori tuo id, quod ipsi debes, acquiri ius, quod ille habebat suum a te debitum requirendi: unde ius quod in te habeo, iuri quod in me habes, aequivalet, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me ius suum transferre, seu possum ego illud emere, sicut quilibet alius, qui nihil tibi debeat. — S. Lig. n. 700. — *Billuart*, diss. 8. art. 14. §. 1. — *Vogler*, n. 541. *et alii communiter*.

Dixi 1^o *per se*, quia non liberor, si forte tu adhuc cogaris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas.

Dixi 2^o *ad apicem iuris*; quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. — *Billuart*, *ibid.*

721. — *QUAER.* 7^o *An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis?*

Resp. 1^o *Neg.* in mero dubio, ut patet. Obligatio enim semel contracta

adimplenda est, nisi solida ratio peractam esse solutionem suadeat. — Idem tenendum est, ubi praesumptio debitori adversatur; quod saepius evenire solet, praesertim quando dubium eius negligentiae tribuendum est.

Resp. 2^o In vera probabilitate, controvertitur.

I^a SENTENTIA communior negat. Ratio est, 1^o quia non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam; 2^o quia onus debitori incumbit attendendi et invigilandi, ut certo restituat; unde exortum dubium imputandum est ipsius negligentiae, ex qua creditor damnum pati non debet. — S. Lig. n. 700. et l. 1. n. 27. et seq. — Lugo, d. 18. n. 12. — Lacroix, n. 571. (licet oppositum teneat sic ut ipse Lugo, ubi de alia obligatione ac de iustitia agitur) et alii multi.

II^a SENTENTIA dicit restituendum esse pro rata dubii, saltem si uterque dubitat; quia cum creditor non habeat ius nisi probabile, aequum non est, ut tantum ipsi solvatur, quantum solveretur, si ius certum haberet. — Tambur., Laymann. — Diana. — Reuter dicit hoc probabile, n. 449., licet oppositum ut probabilius habeat.

III^a SENTENTIA debitorem ab omni obligatione liberat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. Ita Bossius. — Tannerus. — Viva, etc., apud Lacroix et Reuter. Licet haec tertia sententia speculative sua gaudere possit probabilitate, in praxi tamen generatim non videtur sequenda, quia debitor communiter dubium imputare suae negligentiae debet.

Attamen si debitori faveat maior probabilitas, et sit probus, diligensque in debitis solvendis, inquietandus non foret; maior enim praesumptio pro solutione peracta tunc haberetur. A fortiori restitutionem non urgebis, si debitor dicat, se certe satisfacisse, licet creditor adhuc reclamet.

722. — QUÆR. 8^o An excuset a restitutione condonatio rationabiliter praesumpta?

Resp. Affirm. saltem probabilius, quia retentio rei alienae, seu omissio restitutionis, non est iniusta, nisi invito domino fiat. Non fit autem invito domino vel creditore, si fiat ex eius voluntate rationabiliter praesumpta. Ergo, etc. Sic excusari possunt filii familias, si pecuniae summam sat exiguam parentibus surripuerint. Item famuli, qui esculenta communia consumpserunt. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est, ne sic ianua innumeris iniustitiis aperiatur. — Lacroix, n. 462. — Lugo, d. 21. n. 54. — S. Lig. n. 700. — Vogler, etc. — V. Casus, n. 714. et seq. (*).

(*) Advertunt DD., cum de iis agitur, qui bona ecclesiastica mobilia direpta ab infidelibus atque divendita vel emerunt vel dono acceperunt, praesumi identidem posse Ecclesiae consensum condonantis acquisitionem. Innuntur litteris Benedicti XIV. ad secretarium Congr. P. F. quas Pontifex dedit occasione quaestionis

SECTIO II.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

Agendum hic de restitutione ob damnum proximo illatum in bonis 1^o animi, 2^o corporis, 3^o fortunae in quibusdam casibus.

CAPUT I.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI

Generatim quisque tenetur ex iustitia reparare damnum, quod efficaciter et iniuste attulit proximo in bonis tum naturalibus tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Neque enim ius minus strictum quisque habet, ne in bonis huiusmodi, quam ne in bonis fortunae laedatur.

723. **Resolves.** — Quoad damnum in bonis supernaturalibus:

1^o Qui vi, mendacio, fraude, metu iniusto induxit aliquem in peccatum letale, tenetur sub mortali ex iustitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando, etc. Qui autem sine vi aut fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum letaliter,

ab Archiepiscopo Antibaresi propositae 19. Mart. 1752.

Scilicet Benedictus XIV. ibi permittit, ad bona ecclesiastica mobilia direpta ab infidelibus et divendita, ita ut *via spes sit, verum dominum inveniendi*, applicari responsum anno 1630. datum circa bona christianorum a piratis occupata et vendita. Quod responsum est huiusmodi. « Utrum christiani liberi qui heic (Tuneti) negotiandi causa commorantur et alii captivi, ementes a piratis infidelibus bona a fidelibus rapta et in hac urbe venum exposita vel dono ea recipientes, ut heic ad proprios usus utantur vel ad terras christianorum lucri gratia transmittant, peccent mortaliter et ad restitutionem teneantur ». Porro « Patres deputati (h. e. Theologi consulti) existimarunt, bona christianorum a piratis rapta posse fideles, absque noxa mortali et onere restitutionis, emptione venditione aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere ac in proprios usus

convertere, non obstante quod sint in bello iniusto rapta ». Quod responsum temperarunt consultores S. O. hac clausula adiecta: « ut fideles animum paratum haberent ad restitutionem emptarum rerum, si unquam verus earum dominus compararet easque redimere vellet pretio soluto, quod emptor Turcis in emptione numeravit ».

Cuius responsi rationem repetit Pontifex ex praesumpta voluntate dominorum fidelium, qui velint res suas in utilitatem potius fidelium quam infidelium converti, accedente etiam maiore probabilitate eadem recuperandi, sic enim eorum negotium utiliter gerebatur.

Iam vero hanc ipsam rationem agendi permisit Benedictus XIV. quoad bona ecclesiastica mobilia. Porro si aliquando concessio disserte facta est, eadem, paribus rursus concurrentibus adiunctis, videtur posse praesumi. Cf. in Appendice, vol. 2. responsa SS. Congg.